



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Tractatus De Fiducia In Deum Plurimas Et Utilissimas pro
vitâ spirituali instructiones Continens, Præcipue Ad
Obtinendam magnam animæ quietem, & afflictiones
quascunque ingenti cum solatio & fructu ...**

Dusault, Nicolas

Coloniæ Agrippinæ, 1660

§. 3. Vera beatitudo Deus est.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50333)

que hujus miseris, ut semel possessa invitis nobis nullâ inimicâ vi possit eripi, nec accedere quidquam tam insolens, quod nocere, incommodare, aut affligere nos possit. Nimirum: *Non contristabit iustum, quidquid ei acciderit*, inquit verè Sapiens. Nec mirum, accidentia quippe produci & destrui, adesse & abesse possunt, ut Philosophi docent, sine subjecti corruptione, sine læsione substantiæ, extra quam sunt posita. Cum itaque iustus intimo sibi atque ut sic dicam, essentiali fruatur mentis gaudio, quidquid extrinsecus illi advenerit, hanc internam animi pacem beatitudinemque nec immutare nec corrumpere poterit. Hæc est non minus vera quam subtilis & ingeniosa in hunc locum interpretatio Hugonis Cardinalis.

§. III.

Vera Beatitudo Deus est.

Reliquum est ut declarem quæ sit tandem illa via quæ ad tam beatum statum nos deducat, quo obrento nihil sit quod formidemus, nihil quod desideremus amplius, sed in quo conquirere liceat circumscriptis nos malorum turbis, & jucundâ animi tranquillitate perfrui, ne quidquam adventibus persecutionum procellis. Sancti

Patres

Patres vitæque spiritualis magistri de hac materia tractantes consentire in uno omnes, sed diffidere videntur in altero. Unanimi consensu beatitudinis objectum statuunt Deum super omnes res creatas unice eminentem. *Illud verum est & solum gaudium*, inquit S. Bernardus ep. 114. quod de Creatore, non de creaturâ percipitur, & quod cum possederis, nemo tollet à te cui comparata omnis aliunde iucunditas, mœror est, omnis suavitas, dolor est, omne dulce *amarum, omne decorum fœdum, omne postremo, quod cunque aliud delectare potest, molestum.* At vero in hoc videntur dissentire, quod alii illam formaliter, ut scholæ loquuntur, ponant in timore Dei, alii in amore Dei, alii in cõformitate voluntatis nostræ cum divinâ, quidam in fiducia Dei, plures in his omnibus simul. Et quidem difficile est ita uni illarum virtutum deditum esse ut non exerceas omnes, propter mutuam, quo intimè sibi conjugatæ sunt, nexum. Ut ut sit, quemadmodum vanum foret, extra Deum veram felicitatem quærere & conjunctionem quæ cum Divina nobis Majestate intercedit sanctarum exercitio occupationû quibus illi arctissimè adstringimur; ita dubiû non est, quin in omnibus iis hanc beatitudinem inveniamus, in quibus Deus invenitur

& quotiescunque nos illi religiosi mentis exercitiis intimè conjungimur. Hæc divina Unio eodem quasi spiritu cum Deo nos informat, juxta illud Apostolici Cor. 6. *Qui adhæret Deo unus spiritus est.* Ita ut quodam modo infinitas ejus perfectiones participemus etiam tunc, cum maximè disiuncti videmur. Id quod placet, palam facere narratione alicujus historiæ prorsus singularis, cujus post Joannem Taulerum Ordinis Sancti Domini Concionatorem sui temporis, meminit Ludovicus Blosius vir Doctissimus ac Religiosissimus. Illa fundamenti instar erit eorū quæ paulo post dicentur de mediis quibus beati efficitur per voluntatis nostræ perfectissimam cum divinâ Unionem & per heroicam Divinæ Bonitatis fiduciam quæ sane virtus est, cui minus, nisi fallor, tribuere, homines videntur, cum tamen sit nobis maximè necessaria.

§. IV.

Historia memorabilis hominis verè beati.

Celebris quidam Theologus postquam annis octo, continuis petiisset a Deo precibus dari sibi hominem, à quo compendiosam supremæ perfectionis viam edoceretur certus sequi quibuslibet implexam spinis &